



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 15. Papa Claravalle.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

§. XV.

Papa Claravalle.

Sæcul. XII.
A.C. 1131.

Interea Innocentius Papa in Francia versatus cum Monasterium Claravallense suis oculis lustrare cuperet, illo delatus *vit. VI. c. I.* singulari devotionis affectu a monachis, vili panno indutis, Crucem e ligno non satis polito præferentibus, & modeste cantantibus exceptus est. Episcopis & ipsi Pontifici lacrymæ obortæ sunt, omnesque morum gravitatem obstupescabant, cum viderent monachos in communi lætitia oculos terræ affigere, nec huc illucve impellente curiositate respicere, ipsosque cum omnium oculos in se raperent, neminem intueri. Nihil in illa Ecclesia Romanorum oculis occurrit, quod eorum cupiditatem irritaret; nudi conspiciebantur parietes, & nullius rei desiderium hos monachos spectantibus, nisi virtutis, cuius exemplum dabant, nasci poterat. Gaudium in hoc Festo totum Sanctum, totum Spirituale fuit. Mensæ accumbentibus hospitibus apponebatur panis furfuraceus, olera, legumina, & si forte pisciculum piscator attulisset, is soli Summo Pontifici inferebatur. Anno superiore Episcopatum Genuensem, morte *Mabil. Chro. Bern.* Sigefridi vacantem, sibi oblatum recusaverat S. Bernardus, & hoc anno millesimo centesimo trigesimo primo, cum electus

Sæcul. XII. A.C. 1131. ctus fuisset Episcopus in alia Franciæ Ec-
clesia, scilicet Catalaunensi, oneri se sub-
dixit, & alium nempe Geofridum Abba-
tem S. Medardi Sueffione sibi subrogari
curavit.

§. XVI.

Epistolæ S. Bernardi pro causa Papæ.

Innocentio Papa in Francia diversante

ep. 124.

S. Bernardus complures epistolas ve-
hementi stilo ad illos dedit, qui Innocen-
tio adversabantur, eosque ad præstandam
obedientiam permovere conatus est. In
epistola ad Hildebertum Archiepiscopum
Turonensem, quem Gerardus Inculis-
mensis in partes Petri Leonis pertrahere
satagebat, data, loquitur in hunc modum:
*Nunquid non omnes Principes cognove-
runt, Innocentium vere a Deo electum
esse? Francorum, Anglorum, Hispania-
rum Reges, atque etiam Rex Romanorum
eum Papam recipiunt. Solus adhuc igno-*

2: Reg. 17. 7. *rat Achitopbel suum jam patefactum ac
dissipatum consilium* (hic S. Bernardo de
Gerardo Inculismensi sermo est) tum
prosequitur: *Proborum omnium senten-
tia, majoris partis consensus, & quod præ-
cipuum est, pietas explorata Innocentium
commendant.* Scribens etiam S. Bernar-
dus Gaufrido de Loratorio, Doctore no-

ep. 125.

minatissimo, postea Archiepiscopo Bur-
degalensi, & jam tunc magnæ auctorita-
tis